



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De essentialibus partibus Iustificationis 14

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

tiam Christi assequimur, in articulo de Conuersione à peccatis, & poenitentia satis prolixè dictum est, qui legatur, & apparebit Aduersarios iniuriam facere Libro, in eo quod scribunt, Eum vnicam tantum docere iustificationem, hoc est, quæ ab initio adoptionis diuinæ percipiat, tacere verò illam, quam quotidie, cùm nos ad gratiam Dei conuerimus, percipi mus in Christo.

Vbi enim liber Reformationis ponit, In his duobus capitibus, remissione peccatorum, & donatione iustitiae Christi, per fidem acceptæ, vnicam & veram iustificationem, quæ coram Deo valet, positam esse, non hoc vult, quasi non etiam post acceptam salutem à peccatis per gratiam Dei iustificemur: sed testatur solum, veram nostri iustificationem, siue à principio salutis nostræ fiat, siue post acceptam salutem, semper in eo consistere quod Deus ex gratuita misericordia nobis peccata remittit, & filii sui iustitiam nobis donat & imputat: quām tunc dēmum percipimus, cūm id firmiter & indubitate credimus. Et hoc quoque Aduersarij fatentur. Quare quicunque Librum Reformationis, & Aduersariorum accusationem pia mente leget, & inter se conferet, is facilè perspiciet, Aduersarios contentiones & rixas quærere, vbi nulla illis occasio oblata est.

Alterum caput huius Accusationis.

De essentialibus partibus Iustificationis.

C. A. P. XIV.

 On maioris momenti est, & hæc altera huius loci Reprehensio. Dicunt enim Scripturam quatuor capita Iustificationis includere. Primum remissionem & ablutionem peccatorum, per imputationem iustitiae Christi. Alterum, reconciliationem cum Deo, & assumptionem in filios adoptionis per regenerationem. Tertium, renouationem Spiritus sancti, quam is facit per diffusionem charitatis in corda nostra. Quartum, donationem vitæ æternæ, cuius per iustificationem heredes efficiuntur secundum spem.

Responsio.

Primum, In qua scriptura legitur, primam ac principalem iustificationem has quatuor partes, quas enumerant, in se includere? Quid aliud est remissio & ablutio peccatorum per imputationem iustitiae Christi, quam Aduersarij primam Iustificationis partem faciunt, quām reconciliatio cum Deo, quam ponunt alteram.

S. scriptura de Iustificatione docet, quod sit gratuita peccatorum remissio, & in gratiam Dei acceptio, denique communicatio vitæ æternæ in Christo Domino, sicut dictum est: cui necessariò adhærent omnes illæ partes, quas Aduersarij enumerant, & longè etiam plures. Paulus Rom.

Rom. 8. connectit æternam Dei prædestinationem ad salutem, vocacionem, iustificationem & glorificationem, cùm dicit, *Quos prædefinierat, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Ad Eph. hęc capita enumerat, Electionem Dei, prædestinationem, prædicationem & fidem Euangelij, oblationem spiritus S. Charos reddere per dilectionem, habere redemptions per sanguinem Christi, remissionem peccatorum, & hereditatem cum Christo, spem in Christum, spiritualem sapientiam, & cognitionem mysteriorum Christi charitatem, sanctitatem, inculpatam & cœlestem vitam, quæ in omnibus rebus faciat ad laudem & gloriam Dei, salutare incrementum & augmentum in his rebus omnibus, denique ad certam expectationem beatæ resurrectionis.

Hęc non tantum quatuor, sed etiam quatuordecim partes sunt, quas omnes spiritus sanctus enumerat, ut cum iustificatione, hoc est reconciliatione cum Deo, remissione peccatorum, & acceptatione in gratiam eius, necessariò coharentes. Non autem idcirco semper omnes has partes enumerat, quando de Iustificatione loquitur: neque etiam dicit, quod Iustificatio eas omnes in se includat, siquidem propriè loquendum sit, Iustificatio enim propriè loquendo, significat ei remissionem peccatorum, & acceptationem in gratiam Dei per Christum.

Christus Dominus noster interdum totam iustificationem cum omnibus suis coharentibus, vnicō vocabulo fidei complectitur, ut cùm dicit, *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Interdum vocabulo Pœnitentiæ & remissionis peccatorum, vt Luc. vltim. vbi summam prædicationi Euangelicæ his duobus capitibus comprehendit. Petrus Act. 10. duobus verbis omnia complectitur, *Remissione peccatorum & fidei*, cum ad Cornelium dicit: *Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum.* Fratres Hierosolymis vnicō verbo Pœnitentiæ omnia comprehendunt, cùm ad excusationem Petri, & narrationem, quomodo Cornelius cum tota domo sua fuisset ad Dominum conuersus, ita respondent: *Igitur & gentibus Deus pœnitentiam concessit ad vitam.*

Quod si aduersarij verba Christi & Apostolorum non maiori & quietate suscipere vellent, quam verba libri, non minus ea quamlibet reprehendere possent, propterea quod non quatuor essentiales suas Iustificationis partes in omnibus aliis locis, vbi ea prolata sunt, expresserunt.

Verum legatur Articulus de remissione peccatorum, & cuilibet perspicuum erit, quam maligne & præter omnem veritatis speciem Aduersarij Librum Reformationis accusent, quasi eas partes, quæ cum iustificatione necessaria coharent, silentio præterierit. Eo enim loco multas easque insignes sententias ex sacra Scriptura adducit, quæ copiosè testantur & docent, de regeneratione ac renouatione

spiritus Sancti de Impulso ac zelo ad omnia bona opera, de expurgatione sordium peccati, quæ adhuc nobis adhærent, de augmento & incremento noui hominis in Christo, &c. Et his fententiis hanc doctrinam continuò subiungit.

Hæc igitur & similia loca quibus ingenium & natura regenerationis & nouæ creaturæ, ipsèque ordo & consequentia, vel cohærentia potius operum Spiritus Sancti in credentibus explicantur, debent Pastores & Ecclesiastæ sçpe in concionibus recitare, fideliter explicare, & probè insigere, quòd populus solidè perditcat, & diligenter semper cogitet, eos qui in Christo regeniti, & ipsi insiti, fructiferi palmites in hac vita, & bonæ arbores facti sunt, oportere etiam bonos fructus ferre : & cum nouum ac diuinum figmentum sint, conditi ad opera bona, in nouis quoque & diuinis operibus versari, quæ nimurum Deus in eis præcepto, vocatione, & dono suo præparauit, & Spiritu suo continenter efficit, ad suam ipsius gloriam, & decus, & ad ædificationem & instaurationem proximorum, &c. Hæc sunt verba Libri, in quibus videatur, an non liber optima fide doceat studium ac zelum erga bona opera, promotionem in noua vita, & totam plenâque iustificationem, quam habere debemus.

Et ut impias eiusmodi verborum rixas ac concertationes Liber Reformationis, vñà cum aliis omnibus erroribus excludat, dat operam, vt de hoc & aliis articulis S. scripturæ quām maximè consentaneè loquatur. Hinc est quod mault dicere cum scriptura, Charitatem, & omnes alias virtutes, vñà cum zelo ac studio omnium bonorum operum esse dona Dei, & fructus spiritus S. in iustificatis, & iam in gratiam ab eo receptis, qui iustificationi necessariò cohærent, eāmque concomitantur; quām dicere, quod sint essentiales partes Iustificationis, quæ est opus meræ & gratuitæ misericordiæ Dei in Christo, & propter Christum. Quod verò hæc dona Dei, & opera noui hominis Iustificationi necessariò cohærent, id liber Reformationis iuxta doctrinam S. scripturæ fideliter & docuit & testatus est, quemadmodum in loco paulò antè adducto clarissimum est videre.

Et quemadmodum Deus dedit, vt Aduersarij ipsi fateantur, salutem & iustificationem nostram esse merum opus gratiæ diuinæ, ac penitus in solo & vnicō merito Christi consistere, non autem in merito fidei nostræ, charitatis, aut ullius alterius virtutis, merito Aduersarij hanc contentionem prætermisissent: nisi hac ratione occasione in quæsiuiscent, impedimentum aliquod Christianæ Reformationis abiciendi.

Tertia pars huius Accusationis.

De Iustificatione operum.

CAP. XV.

Tertia Accusatio est, propter Iustificationem, quam vocant Operum, & certè contra scripturam.

Respon-